

## §. XI.

Dum philosophiae partem dixi, palam est, quod, quae in philosophiam generatim spectatam cadunt, hic quoque locum inueniant. Datur nimirum & in Ethica notitia maximam quidem partem, & quod ad caput causae attinet, certa, ob clarissima evidentissimaque, quibus passim abundat, principia: adeoque & hoc nomine, uti & reliquae philosophiae practicae partes, scientiae nomen titulumque promeretur. Nonnulla tamen & hic occurrere, quae verosimili saltem quadam cognitione explorata habemus, ipsa experientia magistra edocemur.

## §. XII.

Quod autem de subiecto nonnulli regerunt, asserentes, necessarium & sempiternum in scientiis requiri, id, ut ad ceteras quoque moralis philosophiae partes pertinet, ita nos minime ferit, cum sufficiat subiectum ex hypothesis necessarium, & ratione principiorum & causarum, aeternum.

## §. XIII.

Practicae autem philosophiae pars vocatur praecipue quidem ideo, quod circa actiones hominum occupata est: deinde vero, quod illud, quod ceteroquin philosophiae generatim quoque spectatae proprium est, peculiari quadam ratione sibi vendicat. Nimirum ne-  
tquam hic intra cognitionis limites est subsi-